



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537352-p0001-5


DFG

K. 360^a

94 A 7338

AK





Q. D. B. V.

Dc

2

SOLIDORUM ÆQVILIBRIO, DIVINI NUMINIS AUSPICIO,

BENEVOLO AMPLISSIMÆ FACUL-
TATIS PHILOSOPHICÆ IN ACADEMIA
LIPSIENSI INDULTU,

PRO

L O C O

In eadem suo tempore obtinendo,

primâ vice publicè disputabit,

Ad diem XV. Octobr. Anno M. DC. LXXXVII.

H. L. Q. C.

M. MARTINUS ~~Seniore~~

Hall. Sax.

LIPSIÆ

Literis JOHANN. GEORG.

WF.

1687



VIR O
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
atque EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
JOHANNI CHRISTO-
PHORO STURMIO,
MATHESEOS & PHYSICES
IN ALMA NORICORUM

PROFESSORI PUBLICO LONGE CELEBERRIMO,
PRÆCEPTORI & PATRONO SUO
QVOVIS OBSERVANTIÆ GENERE
PROSEQVENDO
EXIGUUM HOC SCHEDIASMA
IN PIGNUS ANIMI GRATI

OFFERTIAM M.

M. M. Knorre.

Ioannis Georgii



B. C. D. A.

Notissima est illa divisio, per quam in Physicis corpora naturalia in fluida & solida dispe-
scuntur; (*Vid. Celeberrimus Sturmius, Vir de studiis
meis optimè meritus, in Phys. Concil. c. 6. §. 6. Rohault
Tract. Phys. P. I. c. 22. §. 9. ff.*) Utrisque verò cum
sua competit gravitas, hinc fit, ut à Mathematicis etiam con-
siderentur in scientia, quæ Statica communiter appellari
solet, ubi Vires corporum, quibus, pro varia in Machinis
combinatione, pollent, ad examen revocantur. Primus
autem ferè in eâ labor est ostendere, quô in casu corporum
aut etiam aliarum potentiarum Vires ita comparatæ sint, ut
impedimentum, quo unum corpus resistit, æqvivaleat co-
natui, quo alterum urget. Hoc enim cognitô, non magno
negotio determinare licet, quanta potentia ad datum onus
ope Machinæ movendum requiratur. Cum verò hujus
rei contemplatio nec jucunditate careat & plurimum habe-
at utilitatis, placuit impræsentiarum, Dissertatione Acade-
micâ, ita de Æquilibrio agere, ut quamvis generaliora, quæ
trademus, demonstrationibus hydrostaticis haut difficulter
adPLICARI possint, nostra tamen opera nunc quidem circa
corpora solida versetur, perspicuè pariter atque breviter,
pro viribus, ostendendô, quando in machinis vulgo usitatis
virium contrariarum Æquipollentia, quam uno verbo Æ-
quilibrium dicimus, exoriatur. Annuat ille cœptis nostris
qui montes in statera adpendit & colles in bilance!

A 2

Membr. 1.

Memb. I.

§. 1.

Antequam autem ad id, quod palmarium est in hac materia, deveniamus, erunt nobis quædam cum præmonenda, tum ex Physicis supponenda. Namirum consideraturi sumus corpora homogenea, seu ejusdem specificæ gravitatis, nullâ vel figuræ vel impedimentu habita ratione, quod à medio, per quod feruntur, recipere possent: pariter uti Machinæ quoque in hoc negotio tanquam nullam aut gravitatem aut asperitatem habentes solent concipi.

§. 2.

Supponimus porro ex naturali scientia:

I. Corpora omnia Sublunaria tendere versus centrum globi nostri terrauei, per lineas directionis, quæ ex ipsorum Centro gravitatis (seu puncto, ex quo suspensa corpora datum partium suarum situm retinent) ad centrum illud gravium ducuntur; ita tamen ut lineæ hæ, sensim quantumvis convergentes, in re præsenti pro parallelis & ad Horizontem perpendicularibus haberi possint.

II. Motum hunc oriri à principio æquabiliter deprimente corpora in ratione soliditatis ipsorum; ut v. g. corpus, quod est duplo alterius, sit quoque duplo gravius altero, seu eodem tempore duplo fortius urgeatur.

III. Corpora censeri tanto magis ascendisse aut descendisse, quanto remotiora aut propinquiora ipsorum Centra gravitatis facta centro terræ; & hinc quoque spatium ascensus & descensus, per quod mota, determinari posse lineā, quæ ad Horizontem perpendicularis est. Sic v. g. Licet fig. 1.) corpus a motum fuerit per arcum ab, solummodo tamen ascensisse judicatur per spatium bc.

IV. Eum, qui corpus aliquod attollere conatur per certum spatum, superare debere Vires, quibus corpus idem spatiū eodem tempore descendendo emetiretur.

V. Vires effectibus suis esse proportionales; hoc est: Si effectus quiam productus fuerit viribus quibusdam; ad duplum (e. g.) prioris effectus producendum, requiri duplum priorum virium.

VI. Quando vires movendi æquales sunt viribus resistendi, nullum fieri motum, sed adesse Æquilibrium.

§. 3.

§. 3.

Speratus vero hypotheses hanc haec gravitatem concessum in ab omnibus, cuiuscunque sectae sint, Philosophis. Nostrum enim nunc nihil refert, quam quis de gravitatis principio sententiam foveat: Sive a motu materiae aethereae & ipsius terrae illam repeatat, ut Cartesius fecit & nuper Isaacus Vossius in Observationibus p. 201, ss., sive impetum a Deo materiae inditum quis alleget, cum Wolferdo Senguerio in Philosophia Natural. P. I. c. 8. aut formam, cum Jachae lib. II. c. 3. p. 117.

Memb. II.

§. 1.

Ex hisce prælibatis sequentes deducimus propositiones ad Vires corporum dijudicandas.

Prop. I. Corporum, quæ idem Spatium, ascendendo aut descendendo, (quod etiam in sequentibus subintelligendum) eodem tempore describunt, vires sunt ut illorum soliditates.

Sit enim (fig. 2.) corpus A ut 1, & corpus B ut 2, descendantque ambo per lineam ab , & quidem A viribus quibuscumque, quas dicemus Z , erunt incorpore B vires $\frac{1}{2}Z$. (per hyp. 2.) Jam vero A. (1) B. (2) $\frac{1}{2}Z$. $\frac{1}{2}Z$. Vid. Roh. P. 1. c. 10. §. 8.

§. 2.

Prop. II. Si corpora aequalia eodem tempore mouentur per spatia inæqualia, vires eorum sunt inæquales, & eandem inter se rationem habent quam spatia.

Nam si ponas (fig. 3.) C descendisse viribus Z per ab , D. vero per ac prioris spatii duplum, habuit utique (juxta hyp. 5.) D duplas vires respectu C, hoc est $2Z$. Est autem Z . $2Z$:: ab . ac . Ergo &c.

§. 3.

Prop. III. Vires corporum inæqualium, quæ eodem tempore inæqualia emetiuntur spatia, sunt inter se ut producta corporum in spatia sua.

A 3

Nimis

Nimirum si (fig. 4.) corpus A sit ad B. ut $\frac{3}{2}$ ad 1. feranturque ambo eodem tempore per ab ; illud quidem hoc faciet viribus $\frac{3}{2}Z$, hoc vero viribus Z (prop. 1.) Quodsi autem B eodem tempore per inæquale spatium moveri debeat, nempe ac prioris duplum, indigebit viribus $\frac{2}{3}Z$ (prop. 2.) Sicque vires A per ab moti, ad vires B per ac lati erunt ut $\frac{3}{2}$ ad 2. Quam rationem etiam habent inter se producta corporum in spatiis. Nam A. in ab seu $\frac{3}{2}$ in 1. = $\frac{3}{2}$, & B in ac seu 1. in $\frac{2}{3}$ = $\frac{2}{3}$. Idem vero, quod nos jam diximus innuunt alii, quando dicunt: Esse inter se in ratione compositâ ex ratione soliditatis & spatiorum. Nam si ratio soliditatis est $= \frac{3}{2}$, spatiorum vero $= \frac{1}{2}$, ratio ex his composita est $= \frac{3}{2}$. Q. E. D.

§. 4.

Coroll. I. Fluit hinc, si soliditas primi corporis sit ad soliditatem secundi, ut spatium secundi ad spatium primi, vires omnino esse æquales, quia producta, propter eosdem factores, æqualia sunt. V. g. (fig. 2.) Si $A. B. :: ab. ac$, patet productum A in ac , & B in ab , esse æqualia.

§. 5.

Coroll. II. Cumque ita pateat, vires quibus corpus A per ac , & quibus B per ab descendit, æquales esse, verum quoque erit, eum qui potest in hoc casu superare vires corporis A, posse etiam superare vires corporis B; h. e. Eum qui potest attollere corpus A per duos pedes, posse ejus duplum elevare per unum pedem.

§. 6.

Effatum, quod modo adduximus, à scriptoribus equidem Mechanicis passim assumitur, siquidem & summus in eruditione Mathematicâ Vir G. G. L. eō tanquam principiō ab omnibus concessō utitur in Act. Erudit. Ann. 1686. p. 162. & Ignatius Gaston Pardies, Geometra & Mechanicus haut ex vulgō, illud verissimum pronunciat & dubitationis omnis expers in Statica suâ Gallicè conscripta p. 102: non desunt tamen qui falsitatis illud accusant, inter quos est Clar. Vir Wolferd. Senguerd. in Phil. Nat. P. 1. c. 8. p. 85. nec non Bernard Lamy, qui in libello Gallico, quem de Solidorum & Liquorum Äquilibrio Ann. 1679. Parisiis edidit,

Carte-

Cartesium hac propositione usum Paralogismi accusat. Verum enim
verò cum objectiones, quibus autores citati pugnant, finistrâ proposi-
tionis hujus explicatione nitantur, iisdem refellendis nunc non inhâre-
mus, Veritatem demonstrasse contenti.

Memb. III.

§. 1.

Ad specialiora nobis nunc progrediendum, quoad Corpora Ma-
chinis simplicioribus & vulgarioribus applicata. Et re tamen nostrâ erit
sequentia præmisso Lemmata Geometrica.

§. 2.

Lem. I. Duo Triangula rectangula, quorum anguli acuti sibi Ver-
tiales sunt, sunt Triangula similia.

Nam in Triang. gef & dgc (fig. 6.) angulus fge est æqualis angulo
 dgc (Eucl. I. 15.) Et quoniam d & e sunt recti, hinc & angulus c æqua-
lis angulo f . Ergo Triangula ipsa sunt similia. Eucl. VI. Def. 1.

§. 3.

Lem. II. Si in Triangulis similibus unum latus unius trianguli sit
æquale lateri alicui alterius Trianguli, erunt quoque reliqua latera æqua-
lia reliquis. v. g. in Triang. gcf & dce (fig. 5.) quia ex hypothesi latus
 go æquale lateri cd . Ergo $gf = ce$, & $gf = ed$. Vid. Eucl. I. 26.

§. 4.

Lem. III. Si uni Trianguli lateri parallelâ ducatur, absindit illa
triangulum simile triangulo majori. Vid. Schol. prop. 4. VI. Euck. edit.
Barrov. v. g. (fig. 7.) Triangulum edf simile est triangulo eBr , propter
parallelam df .

Lem. IV. Triangula similia habent latera circum angulos æqua-
les

les proportionalia. VI. def. I. v. g. (fig. 6.) $fg \cdot ge :: ef \cdot cd$. Item (fig. 7.) $Bd \cdot de :: Bc \cdot df$.

§. 6.

Sequuntur jam Propositiones:

Prop. I. Corpora æqualia in Libra brachiorū æqualium sunt æquilibria.

Si neges, necessum est, ut (fig. 5.) A majoribus polleat viribus quam B, dum illud attollit per gf (Hyp. 4.) Id quod tñ. secus se habet. Nam cum fg sit æqualis de (Lem. I.), Vires quoque sunt æquales, (Memb. L, prop. 1.) & hinc Äquilibrium adest, (Hyp. 6.)

§. 7.

Prop. II. In libra brachiorum inæqualium, seu Statera, si corpora ita se habeant, ut brachiorum longitudo permutatim sumta, erunt æquilibria.

Quoniam enim, si per impossibile motum fingas, (fig. 6.) A est ad B, ut fg ad ge, & porrò (Lem. I. & IV.) $fg \cdot ge :: ef \cdot cd$, erit quoque A. B. :: ef. cd. hoc est ut reciprocè spacia, adeoque vires æquales. (M. II. proposz. Cor. 1.) Vid. Roh. I. c. §. 10. & Celeber. Sturmii Disputat. de Gravitate.

§. 8.

Scholion. Idem dudum demonstravit Archimedes de Äquipond. lib. I. propos 6. 7. & Galileus Galilæi in Dimostrationi Mathematiche, Dialog. 2. p. 109. cuius etiam demonstrationem relicta Archimedæ recentiores bene multi sequuntur. Vid. Pardies Statiqu. p. 31, seqq. Medic. Mentis P. II. p. 106. seq.

§. 9.

Prop. III. In Kede heterodromo, seu ubi sustentaculum, circa quod vectis movetur, (alias hypomochlion) est inter pondus & potentiam moventem, si illa se habeant ut distantiae ipsorum ab hypomochlio permutatim sumtae, erunt in Äquilibrio. Cum enim partes ejus inæquales (fig. 6.) fg, ge, circa hypomochlion (g) mobiles considerari possint tanquam brachia stateræ, facile ipsi applicari poterit demonstratio precedens, id quod ex nuda figuræ inspectione patet..

§. 10.

§. 10.

Prop. IV. Axem in Peritrochio & cognatas machinas quod attinet, si potentia se habet ad onus, ut Semidiameter Cylindri ad Semidiametrum Circuli quem potentia movens describit, adest Aequilibrium.

Concipimus enim has Machinas esse vectes multiplicatos, (quod non incommodè fieri censem Celeberrimus Anglorum Geometra Wallisius, Mechanic. c. 7. prop. I. p. 619.) ita ut v. g. in Sucula (fig. 8.) integrum vectem exhibeat diameter Cylindri ad Scytalarum extrema producta bc , in quô brachium minus ac , majus ab . Hypomochlii vices subire censetur Cylindri axis de , ut adeo & hic locum habeat demonstratio præcedens, & tam hæc quam tertia propositio pro secundæ Corollariis haberí possint.

§. II.

Prop. V. In Vecte homodromo, h. e. ubi Onus movendum est inter hypomochlion & potentiam moventem, si potentia movens & onus fuerint ad se invicem, ut distantiae ipsorum ab hypomochlio permutatim sumtæ, erunt æquilibria.

Ponatur enim (fig. 7.) per impossibile, potentiam motam fuisse per lineam Bc , ascendit utique onus per lineam fd (hyp. 3.) Cum vero ex hypothesi A sit ad B , ut Be ad de , & porro Be , de :: Bc , df , (Lem. 3. & 4.) erit quoque A ad B, ut Bc ad df , h. e. ut spatia permutatim sumta, sicque factus erit motus eō casu, ubi vires sunt æquales (Memb. 2. prop. 3. Cor. I.). Id quod absurdum, (hyp. 6.)

§. 12.

Prop. VI. In Plano inclinato, si corpus majus ad minus ita se habet, ut latus inclinatum ad perpendicularm, dico & hic adeste æquilibrium.

Fac enim (Fig. 9.) B descendisse per de , utique A erit sublatum per fg . (hyp. 3.) Quoniam ergo ex hypothesi A, B :: cd , de , & verò propter triangula similia dce , feg (Lem. 3.) cd , de :: cf , vel de (quippe quæ ipsi ex constructione æqualis est) ad fg (Lem. 4.) erit etiam A. B :: de , fg . hoc est, ut spatia reciprocè, & sic virium æqualitas (Memb. 2. propos 3. Cor. I.). Vid, Mariotte Traité du Mouvement des Eaux. P. II, p. 79. seq.

B

§. 13.

§. 13.

Demonstrat hanc propositionem etiam Alphonsus Borellus Part. I. de Motu Anim. prop. 63. schol. & Pardies l. c. p. 77, uterque ex rationibus libræ inflexæ, viâ tamen diversa. B. Lamy verò, præterquam quod peculiarem de descensu corporum super plana inclinata opinionem sovet, etiam p. 137. reprehendit illos, qui ad spatiâ, quæ corpora percurrunt, respiciunt. Enimverò confundit ille viam, quam corpus oblique ascendendo emetitur, cum perpendicular adscensus & descensus, ad quod semper in hoc negotio respiciendum monuimus Hyp. 3. Cæterum quæ de momentis gravium in planis inclinatis nuperrimè inter clarissimos Viros disceptata, videantur in Act. Erudit. Ann. 1684. p. 511. seqq. An. 1685. p. 262. 501. An. 1686, p. 96 & An. 1687. p. 197, seqv.

§. 14.

Prop. VII. Si potentia movens non oneri, sed plano inclinato, applicetur, sitqve ad onus movendum ut perpendicular ad basin, vires ipsorum æqvipollentes erunt.

Sit enim (fig. 10.) potentiae loco applicatum pondus D. Si jam planum progrederetur per Ab descendenter pondus per c D, & corpus A sustolleretur per Ae. Cum autem ex hypothesi D. A :: fg. gb, & fg. gb :: e A, A b. seu c D, (quæ priori æqualis ex constructione) (Lem. 3. 4.) Seqvitur, quod etiam D sit ad A, ut e A ad c D, hoc est ut perpendiculara permutatim sumta, sicqve vires existant æquales. (M. 2. prop. 3. Coroll. 1.)

§. 15.

Schol. Quando tale planum adhibetur ad divellenda corpora sibi invicem cohærentia, Cunei nomine venit, cui proin omnia illa, quæ jam demonstrata, competent. Solet tamen usitatissimè Cuneus ex duobus quasi inclinatis planis compingi, ut habeat figuram, quam exprimit Schema XI, ubi æquilibrium adest, quando potentia, ad resistentiam se habet ut ac ad bd. Vid. Wallis. c. 12. prop. 1.

§. 16.

Prop. VIII. In Cochlearia, quando potentia est ad pondus movendum

dum, ut distantia proximarum Spirarum ad longitudinem lineæ, quam potentia in unica circumvolutione designat, adest Aequilibrium.

Oritur enim helix fdb (fig. 12.) ex circumplicatione Trianguli fbg (fig. 10.) cuius basis Cylindri peripheriam, cathetus distantiam spirarum designat, ita ut unicā circumvolutione pondus attollatur per fg , potentia verò feratur per gb . Quoniam ergo cochlea eodem modo agit ac planum inclinatum in prop 7, eadem quoque ratio erit virium in constitudo Aequilibrio. Vid. Wallis. c. 9. Prop. 1. & 3.

§. 17.

Schol. Aliter procedit Pardies p. 98. licet etiam Cochleam, ut plānum inclinatum axi circumvolutum consideret, putans scil. eam debere esse rationem potentiae ad onus, quæ est altitudinis fb ad longitudinem spiralis seu hypothenuæ gf , idque conformiter suæ de Viribus Cunei sententiae, quam Vid. p. 96. seq. l. c. Casatus vero in doctissimo Opere Mechanico Cochlear vires à piano inclinato deducendas plane negat. lib. 8. c. 1. p. 767. ob rationes tamen, uti nobis videtur, non satis prægnantes.

§. 18.

Prop. IX. Si corpus aliquod, mediante vel annulo vel trochlea simplici, funiculo incumbat, cuius una extremitas annexa clavo immobili, & alteri extremitati adplices dimidium corporis dati, habebis Aequilibrium. Sin verò extremitas funiculi trochlea colligata fuerit, tercia pars corporis æquiponderabit toti.

Si enim ponas, (Fig. 13.) B. descendere per ab , A non poterit amplius ascendere quam per bc , spatium dimidium prioris, quod ex figuræ inspectione manifestum. Quum ergo corpora quoque sint, ut spatia reciprocè sumta, enascitur hinc Aequilibrium (M. 2 propos 3. Coroll. 1.) Simili modo propositionis pars altera (Fig. 14.) facile demonstratur.

§. 19.

Schol. Manifestum hinc porro est, funicularum trochleam tangentium numerum esse ad unitatem, ut spatium potentiae ad spatium onoris, & propositionem modo demonstratam ita posse effterri:

Si

Si onus sit ad potentiam, ut numerus funicularum trochleam contingentium ad unitatem, illa sunt in Aequilibrio.

Quod vero variam Trochlearum, compositionem attinet, videndi sunt Casatus lib. 6. Mechanicorum & Wallisius cap. 8. Nos promissæ brevitatis memores hic subsistimus, D E O pro gratiosò ipsius auxilio immortales nuncupantes gratias.

Epimetrorum Dodecas.

- I. Causa impulsiva recte distinguitur à causa materiali.
- II. Præter scientias theoreticas dantur etiam aliæ.
- III. Unius propositionis plures possunt esse demonstrationes.
- IV. In scientiis πρῶτον δεκτικῶν non anxiè semper inquirendum.
- V. Qui pro capitib[us] reo fidejussit, ex fidejussione occidi nequit.
- VI. Non omnis, qui aliquid facit, ex quō sui destructionem securoram novit, αὐτόχειρ est.
- VII. Natura non abhorret à vacuō.
- VIII. Argumentum, quod Cl. Casatus in tractatu de Igne contra pressionem aëris super aquam attulit, eandem nequaquam convellit.
- IX. Radii refracti, quatenus tales, non faciunt, ut Objectum per diaphanum visum majus appareat.
- X. Linea projectionis non est Parabolica.
- XI. Indicium bonitatis horologiorum est, si à Sciatericis accuratissimis certâ ratione discrepant.
- XII. Non omnes lineæ rectæ, quæ ex utraque parte productæ non concurrunt, sunt parallelæ,



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537352-p0017-4

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537352-p0018-0

DFG

94 A 7338




Sb.

KD 17

1018



FarbKarte #13



B.I.G.

B. V.

2

ORUM
LIBRIO,
NIS AUSPICIO,

PLISSIMÆ FACUL-
CÆ IN ACADEMIA
INDULTU,

RO

C O

mpore obtinendo,

ublicè disputabit,

nno M. DC. LXXXVII.

. Q. C.

I N U S ~~Senorrei~~

II. Sax.

PSIÆ

JANN. GEORG!

W.F.